Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

quam in palmis magnum ei dolorem inferrent. Quae cum basilicas sanctorum flens atque obsecrans circuiret, sepulchrum beati Gregorii antistitis in eius virtute confisa perterrit. Cumque diutissime beati confessoris presidium flagitasset, directa manus eius ad opus pristinum, pectine decidente reducitur. Sic energumini eum confitentes, ad eius sepulchrum sepe purgantur. Nam plerumque videntur post eius transitum virgulam cuius super meminimus quam manu gerebat, per parietes in eos affixos, ut putares illos validis atque acutissimis sudibus retineri. Multa quidem et alia de eodem gesta cognovimus, sed ne fastidium incitarent de pluribus pauca perstrinximus. Obiit autem tricesimo tertio episcopatus sui anno, etate nonagenaria, qui se virtutibus manifestis sepius declaravit.

Eodem die apollionis martyris.

[D]iocletiano et Maximiano regnantibus decreverunt, ut immissa persecutione omnes christianos aut delerent, aut fide christi facerent deviare. Cumque hoc eodem tempore hec preceptio emissa fuisset ad sermiensium civitatem, probus preses impetrata sibi preceptione, a clericis suspitio exordium, et comprehensum sanctum Montanum presbiterum ecclesie singidunensis, diuque christiane fidei viribus colluctantem, misit in fluvium. Sanctum quoque Hyreneum sermiensis ecclesie pro fidei constantia et commissa sibi plebe fortiter dimicantem, ad celestem palmam simili sententia cognitor provexit immitis. Etiam sanctum Demetrium eiusdem diaconem renunciantis ydolis, et impia precepta contempnentem, vario tormentorum genere confectum, temporali morti tradidit, in eternitate victurum. Sed cum in eis eius saciata crudelitas non fuisset, vicinas pagandas esse credidit civitates. Et cum sub specie publice necessitatis ad urbem Cibalitanam pervenisset, de qua Valentiniani christianissimi imperator oriundus esse cognoscitur, etiam et a superiori persecutione Eusebii eiusdem ecclesie venerandi antistes, moriendo pro christi nomine de morte et de diabolo noscitur triumphasse. Contigit domini misericordia providente, ut eodem die comprehensus apollio primicerius lectorum, fidei ardore notissimus, a ministris crudelitatis offerretur erantium dicentibus: Hic in tantam prorupit superbiam, ut non cesset deos et principes blasphemare. Quo astante, probus preses dixit: Quid diceris? Respondit Apollio. Probus dixit: Christianus es? Apollio respondit: Christianus. Probus dixit: Quod officium geris? Apollio respondit: Primicerius lectorum. Probus prefectus dixit: Quorum lectorum? Apollio respondit: Illorum qui eloquia divina populis legere consueverunt. Probus dixit: Illi qui leves mulierculas vetant ne nubant, et pueritiam ad vanam castitatem seducunt? Apollio respondit: Levitatem et vanitatem vestram volo hodie comprobare. Probus dixit: Quomodo? Apollio respondit: Leves et vani isti sunt, qui relicto creatore suo, vestris supersticionibus acquiescunt. Ceterum devoti et constantes probantur qui in fide regis eterni mandata que legerint, etiam tormentis prohibentibus implere contendunt. Probus preses dixit: Que mandata legendo? Vel cuius regis? Apollio dixit: Christi regis pia et sancta mandata. Probus dixit: Que? Apollio respondit: Que unum deum in celis indicant tonantem, que non posse dici deos ligna et lapides salutifera admonitione testantur, que corrigunt vitiosos et emendant innocentes, impositam sibi perseverantiam et observatione corroborantque; virgines integritatis sue docent obtinere fastigia. Coniuges pudicitiam in creandis filiis conscientiam custodire. Quae dominos servis plus pietate quam furore persuadens, uni condicionis contemplatione dominari, que servos hortantur debitam fidem dominis plus amore quam timore persolvere. Que docent regibus iusta precipientibus obedire, sublimioribus potestatibus bona obtemperare. Cum fecerint que precipiunt, parentibus honorem, amicis vicem, inimicis veniam, affectum civibus, hospitibus humanitatem, pauperibus misericordiam, caritatem cunctis, malum nemini reddere, illatas iniurias patienter sufferre, hominino nulli suis bonis cedere, aliena nec oculorum quidem delectatione conspicere. In perpetuum esse victurum qui pro fide momentaneam mortem quam vos potestis inferre contempserint. Hec si displicet, optime cognitor tuo iudicio potius derogare. Probus preses dixit: Et quid prodest si homo interfectus hac luce careat, et bona corporis sui universa deperdat? Beatus apollio respondit: Quia huius vite brevi melior est lux illa perpetua, et dulciora sunt que permanent, quam que pereunt, bona est hec prudentia caduca postponere sempiternis. Probus preses dixit: Quid tractas? Fac quod iusserunt imperatores. Sanctus apollio respondit: Quid? Probus dixit: Ut sacrifices. Beatus apollio respondit: Ego hoc non sum facturus quia scriptum est: Sacrificans demoniis et non deo eradicabitur. Probus dixit: Gladio ferieris si non sacrificaveris. Sanctus apollio respondit: Fac quod tibi preceptum est, me autem oportet episcoporum presbiterorum omnium patrum nostrorum quorum doctrinis imbutus sum, sequi veritate et tota vestigia, unde et omnia que inferre volueris, tota exultatione suscipio. Probus preses dixit: Date sententiam ut flammis comburatur. Mox raptus a ministris diaboli, deductus decimo miliario longe a civitate, agonem suum laudans et benedicens et glorificans dominum implevit martyrium suum intrepidus. Cuius venerabilem ~~plevit~~ passionem, sed et sancti episcopi eiusdem civitatis Eusebii, ante plurimos annos eodem die martyrii celestem promotum ad gloriam, quam hodie cum gaudio celebrantes omnes christiani letantes glorificantes dominum. Hec autem acta sunt in civitate Cibalitana, die VI. kalendas maiarum, sub Diocletiano imperatore, regnante vero domino nostro Ihesu Christo, cui est virtus et honor et gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

Item Hospicii confessoris.